



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

IX. Quia non solùm ipsa est in Cœlo coronata, sed etiam ex nobis coronam
sibi fecit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

sibi, & à se audita narrat. Sed hanc ipsam Virginis apparitionem ex *Græcorum Horologio* describit *Laur. Lantmeter lib. 2. cap. 46.* Post Christi resurrectionem ac Spiritus S. descensum, Apostoli vivebant in commune, hi dabant locum vacuum in mensa Christo, eamque sternebant, ac fragmentum panis apponebant: hoc idem cum fecissent post mortem S. Virginis, Christo panem seponendo, quæ mortua fuerat viventis instar nubibus & lucidissimis choris circumdata in sublimi apparebat. Ave, inquit ego vobiscum sum omnibus diebus. Apostoli autem miraculo obstupefacti, (*loco ejus Domine Jesu Christe Orationis consuetæ*) exclamant *Panagia* suavissima Deipara adjuva nos. Oremus Virginem. *cum Græca Ecclesia voce S. Sabbe 15. ante matutinas.* Cum ad quietem æternam transires, à te mundus tamen desertus non est, quippe tuis apud DEUM patrocinijs nostras nihilominus animas liberare non desinis: proinde nobis suppedita vires, ut ab omni posthac jejunemus nequitia. Miremur cum *S. Damasceno 15. Aug. odo. 8. et 9.* O ingentia Deiparæ miracula, quorum magnitudinem nullius ingenij acies penetrat! quippe Dei Mater sepulta, paradysum fecit ex sepulchro. Venite Christiani, ac simul omnes ad Virginis tumulum curramus, illudque monumentum omni pietate complexi, ejusdem contactu corda nostra, labia, frontem, oculos, affectu sincero teramus: sicque hauriemus inde abundantes gratiarum ac remediorum divitias ex Maria, ut scaturigine sempiterna manantes.

Sed cujus Verbis sumus exoristi ejusdem claudamus narrationem. *S. Bernardus in Breviario Romano in Octavam Assumpt. lect. 6.* Ecce jam quibus potuimus votis ascendente te ad Filium deduximus, & prosecuti sumus, saltem à longe Virgo Benedicta. Sit pietatis tuæ ipsam, quam apud Deum gratiam invenisti notam facere mundo: reis veniam, medelam ægris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adjutorium, & liberationem sanctis tuis precibus obtinendo. In hac quoque die solemnitatis, & lætitiæ, dulcissimum Mariæ nomen invocantibus servulis, per te Regina clemens, gratiæ suæ munera largiatur Jesus Christus, Filius tuus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula Amen.

9. Quia non solum ipsa est in cælo coronata, sed etiam ex nobis coronam sibi fecit

Ecclesia Romana in Vigilia Assumptionis orat in Missa. Munera nostra Domine apud tuam clementiam Dei Genitricis commendet oratio, quam idcirco de præterito sæculo transtulisti, ut pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat.

Bernard.

Bernard. serm. 1. de Assumpt. Advocatam præmisit (in coelos) peregrinatio nostra, quæ tanquam Judicis Mater misericordiæ simpliciter & efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit. *Ergo cum Anselm. de excell. Virg. cap. 12.* Cur non juvabis nos peccatores, quando propter nos in tantam celsitudinem es levata. *Andr. Cret. orat. de Assumpt.* Ex quo translata es à terra, te universus mundus continet Propitiatorium. Videtur alludere ad veterem arcam, supra quam propitiatorium collocatum erat. *De sua Esthere dixit Mardocheus cap. 4.* Quis novit utrum idcirco ad regnum veneris, ut in tali tempore parareris? *Abfalon Abbas serm. 41.* Illa sedet Regina beatorum Spirituum, & Mediatrix peccatorum semper interpellans pro nobis. *Amed. hom. 8.* Ex quo coelos cum Filio suo regnatura conscendit, induta decore, induta pariter fortitudine præcinxit se mirabiles elationes maris solo nutu compefcitura. Unde spe ingenti concepta sic Virginẽ alloquitur *Damiani serm. 2. Nativ. Virg.* Nunquid quia Deificata ideo nostræ salutis oblita es? nequaquam Domina, scis in quo nos discrimine reliqueris: ubi jaceant, quantum deliquerint servi tui, neque enim ita es imparsibilis, ut sis comparsibilis. *Juvenalis Jerosol. ut refert Glycas 3. parte annaliu.* postquã comparasset Virginem cum Arca, & Christi Resurrectionem descripsisset applicat verba Psalmi: *Surge Domine, tu & Arca sanctificationis tue.* & ait, Nam quia David norat eam, quæ Christum utero gestasset, ac illam ipsam ob causam, Arca sanctitatis esset, ac nuncuparetur, eodem pacto resurrectionem è sepulchro, quo & natus ex ipsa Dei Filius: idcirco utriusque resurrectionem expressit. Unde Christus ascendit, ut Mediator assisteret lateri Patris, & ipsa Mediatrix, ut oret assumpta. *Bernard. serm. 1. de Assumpt.* Ascendens in altum dabit ipsa quoque dona hominibus. Quid ni daret? siquidem nec facultas illi deesse poterit, nec voluntas. *Bonav. spec. c. 8.* Magna fuit erga miseros, ejus misericordia nondum regnantis in coelo: majorem per beneficia innumerabilia nunc ostendit hominibus misericordiam, quia magis nunc videt hominum miseriam, præoccupat, qui se concupiscunt, ut illis prior se ostendat. *Beda hom. 7. serm. de s. Maria.*

Hodie fratres charissimi celebramus festivitatem Mariæ, quæ hodie translata est de mundo in coelum, ut pro nobis oret filium, quia mundus deletus esset, nisi per preces S. Mariæ sustineretur. *Rupert. in Cant. lib. 6.* Quando de hoc mundo assumpta, atque ad æthereum thalamum translata es tunc tu, & ex tunc electa ut sol, electa inquam nobis: quia sicut ex te natum Dei Filium, Solem verum æternum adoramus, & colimus ut Deum verum, sic & te honoramus, atque veneramus ut Dei Genitricem: quia nimirum undè ut sol in terras, ita illa per suas preces influxus salvificos demittit. *Petrus Damiani serm. de Assumpt.* Electa ut sol. Quoniam sol lucidius incandescens, ita sibi siderum & lunæ rapit positionem, ut sint quasi non sint, & videri non possint: similiter & Virga Jesse veri

prævia luminis, in illa inaccessiblei luce præluceus, sic utrorumque spirituum hebesat dignitatem, ut sint quasi non sint, & comparatione illius nec possint, nec debeant apparere.

Bernardinus toum. serm. 16. art. 3. cap. 3. Adamavit Rex Deus super omnes mulieres, & posuit diadema regni super caput ejus (*alluditur ad Esther 2.*) & voluit eam esse Reginam, istud est diadema speciei, & gloriæ corona, quâ Virgo super Angelos coronatur, ut intra Trinitatis gloriam ipsa sola amplius sit evecta, ac plus SS. Trinitatis diligit gloriam, capiat, sentiat, ac fruatur, quàm omnis alia pura creatura simul sumpta, de cujus gloria post Filium participiant universi. *Et paulo post.* Tantum differt gloria Virginis à gloria omnium B. B. quantum sol à cæteris luminibus cæli, & quodammodò sicut cætera luminaria irradiantur à sole, sic tota cælestis curia à gloriosa Virgine lætificatur. *Et cap. 8.* Quidquid est gloriæ in omni inferiore glorificata natura, tam Angelica, quàm humana, multo præcellentius esse in Virgine Matre. *s. Bonav. spec. cap. 8.* Benedicta Filia priorem misericordiam, posteriore superasti. Magna fuit erga miseros misericordia Mariæ, adhuc exultantis in mundo, sed multo major erga miseros est misericordia ejus jam regnantis in cælo: majorem per beneficia innumerabilia nunc ostendit hominibus misericordiam, quia magis nunc videt innumerabilem hominum miseriam. Vnde pro splendore prioris misericordiæ fuit Maria pulchra ut Luna: pro splendore verò posterioris misericordiæ est electa ut Sol, nam quemadmodum sol lunam superat magnitudinæ splendoris, sic priorem Mariæ misericordiam superat magnitudo posterioris. Quis est super quem non luceat? Quis est super quem misericordia Matris non resplendeat. *Gerson in Magnificat citatus à Rawlino tom. 2. serm. de SS. 45.* Piè creditur Dei privilegio in Virginis Assumptione evacuatum esse purgatorium, dum enim Princeps coronatur, aperiuntur carceres, quando magis in coronatione Deiparæ. Sed quæ sit corona Virginis, decet investigari. *Paulus olim suos Discipulos coronam suam dicebat: Sponsus autem Virginis coronam agnoscit esse nos peccatores Cantic. 4. Veni de libano sponsa mea, veni coronaberis de capite Amanæ, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum. Rupert. lib. 3. in Cant.* Undè coronaberis? de capite Amanæ, quod interpretatur nocturna avis, de vertice Sanir, quod interpretatur dens vigiliarum, & Hermon, quod interpretatur Anathema, venies de libano, quod interpretatur candidatio, id est de corpore isto migrabis, corpore candido, corpore Virgineo & coronaberis de omnibus his, id est de corpore, vel membris illius, quæ nominibus istis rectè denotantur, de regnis mundi hujus: regna namque mundi hujus quædam

quædam capita, vel quidam vertices rectè dicuntur nocturnæ avis, & dentis vigiliarum, & verè anathematizati diaboli, qui cum sit Princeps tenebrarum, & tanquam leo circumbeat quærens quem devoret; rectè & nocturna avis: & dens vigiliarum dicitur. *Etrufus*. Coronabitur, quia credent gentes in Fructum ventris sui, & eorum credentium salus, Corona Virginis erit. *Richard. à S. Laur. lib. 12.* Ideò dicitur ipsa coronari de cubilibus Leonum, *Cant. 4.* Leones isti sunt demones, quorum cubilia sunt peccatores, pro quibus orat assidue. Vel certè id quod *Apoc. 12.* de muliere habente in capite coronam duodecim stellarum: sicut Dèus Abrahamæ promisit ejus prolem ut stellas cœli fore, sive etiam stellas duodecim signorum Zodiaci, quæ sunt symbola variarum virtutum. *Amedeus Eufanens. hom. 6. de laud. Mariæ.* Vallata Sanctorum lilijs Redemptoris Mater, aptissimè huncilli congruentem poterit proferre sermonem: Gaudium meum, & Corona mea omnes vos estis, acquisiti sanguine meo, & carne sumpta de carne mea.

M O N I T U M

Ad Cultorem Virginis.

ID non meis verbis, sed uti cœtera ut majus habeant pondus verbis Doctorum formabo. Itaque *Richardus à S. Laur. lib. 2. de laud. Virg.* ita monet. Debent quantum possunt (*Virginem*) in virtutibus imitari, & saltem à longè currere in odorem unguentorum ejus, quia sicut dicit Auctoritas *Greg. hom. 18. in Evang.* Venerari Sanctos, & non imitari: nihil est aliud, quàm mendaciter adulari: Virgini siquidem multò magis placet devotus imitator, quàm laudator oriosus: & vera laudatio cordis, & oris, imitatio operis est, & tunc veri laudatores Sanctorum existimus, si ea sectemur, quæ & ipsi sectati sunt. Igitur dilectissimi amate quam colitis, & colite quam amatis, quia tunc verè eam amatis, & colitis, si imitari velitis ex toto corde, quam amatis. *Imo Chrysost. in cap. 24. Matth.* Quæ est ista Justitia sanctos colere, & sanctitatem contemnere? Primus gradus est pietatis, sanctitatem diligere, postea sanctos, quia non sancti ante sanctitatem fuerunt, sed sanctitas ante eos. *Idem Greg. lib. 1. Epist. 47.* Pone finem in voluntate peccandi, & invenies Mariam, indubitanter promitto, promptiorem carnali Matre, ac mitiorem in tui dilectione, *D. Damasc. de Assumpt. B. V. orat. 2.* Curemus ut mentem, memoriamque nostram Genitricis DEI promptuarium efficiamus. Quoniam autem modo id assequemur? Et Virgo ipsa est: & Virginum amans,

V. v 3.

pura